

05

A

2022





Q. D. B. V.

VIR T U T E M

VIR G U L Æ

SALIARIS,

SUB PRÆSIDIO

M. CHRISTIANI

KIRCHMANNI,

Curiâ Varisci,

In

Alma hac Leucorea

expendet

CHRISTIANUS CLEEMANNUS,

Gubenâ Lusatus,

Ad diem 22. Decembr. S.V. Anno 1689.

IN AUDITORI MINORI.

ANNO M. DC. LXXXIX.



Reverēdiss. Præ-Illustribus atque
Generosissimis

DOMINIS.

DN. PRÆLATO,
DNN. COMITIBUS,
DNN. BARONIBUS,

Nec non

Generosis, Nobilissimis, Perfortibusq;
HEROIBUS,

DNN. EQVITIBUS,

& tandem

Nobilibus, Amplissimis, Consultissimis
Prudentissimisq; VIRIS,

DNN. CONSULIBUS ac SYNDICIS,
ORDINIBUS

per Lusatiam inferiorem

Inclytissimis,

Patronis omnimodâ observantiâ
perpetim suspiciendis,

Primitias has Academicas speciminis loco
subjectissimus offert

CHRISTIANUS CLEEMANNUS.



05 A 2022



SECTIO PRIOR

De

Origine, præparatione & applicatione
Virgulæ Saliaris.

Erot. 1.

An detur Virgula Saliaris?



IX autumo, quæpiam de ea dubitatu-
rum. Hodie enim præsertim apud Me-
tallicos in detegendis venis Virgulâ Sali
nihil vulgarius, ita ut usus illius ferè latius
se extendat, quam venæ ipsæ, Quot,
quæso, thesauri hoc mediò manifestantur, quantæ opes
effodiuntur? Verissimè Schottus in Magia sua scripsit:
*Virgulâ metallici aliq̃ non pauci inculpatæ vitæ homines
non solum utuntur ad metallicas venas. sed & ad thesau-
ros & pecunias absconditas indagandas atq; invenien-
das, & sæpe quidem non sine effectu. Hac enim instra-
ti ubi subinde per domos, stabula, hortos, aliq̃ loca qua-
ritantes inambulassent, eâ reperere, de quibus ne suspica-
ri quidem potuissent. Proinde non operæ erit pretium
illud multis argumentis probare, quod multorum au-
toritas jam probatum est.*

Erot. 2.

Cui Nomen & Natales suos debeat?

Nomen quod attinet, illud à Saliendo deducimus, eò
quod præsentem metallo potissimum scaliat & mo-

A 2

VC

veatur. Aliis dicitur Mercurialis, divinatrix, Aurifera,
Cadens &c. Germanis eine Wünschel = Windet Ruthe
the/eine Glücks = Ruthe / Gold = Ruthe / Schlag =
Ruthe pro cujusvis deducendi lubitu, & ratione. Cui
autem natales suos debeat, nunc investigabimus. Ex-
cellentissimus noster Kirchmajerus in Comment. ad
Tacit. de Moribus Germanorum ritum hunc rhabdo-
manticum Virgulæ in perqvirendis metallis ex anti-
quissima Magorum consvetudine deducit. Juvat ver-
ba ejus transcribere: *Consuetudo hæc metalla divinandi
ab illicita magia prisca orta est, non eâ quidem, quâ
iis forsitan investigandis virgam adhibuissent, sed quod di-
vinatricem quondam virtutem surculo inesse, persuasio-
ne Demonum opinarentur.* Georg. Agricol. Lib. 2. de re
Mettall. p. 27. Litav. Lib. 4. ad Opus diei tertii Hexaem.
Cass. Schwenckf. Lib. 1. Stirp. Siles. de Coryl. Sylvestri
itidem ex Veterum Magorum magia originem trahere
asserunt, quâ mediantibus virgis rerum immutabant
formas, & futura divinabant. Et quis in sacris Literis
tam peregrinus & hospes est, quem lateret, quomodo
callidus iste Seducator, Diabolus, κακοξηλίαν suam jam
tempore Pharaonis, Regis Ægyptiaci exercuerit? Mose
enim & Aarone Dei digitô per baculum coram Rege
varia miracula edentibus, iste Dei simia, Diabolus illa
statim consimili instrumentô per magos imitabatur.
Vid. Exod. cap. 7. & 8. Quod malum deinde invaluit,
& ab Ægyptiis ad Hebræos, Medos, aliasque gentes re-
dundabat. Hac de re vid. Lotich. Responsa ad Quæst.
Petro-

Petronian. c. 8. Inter Hebræos deinde multos *παβδο-
μαυτεία* istam exercuisse ex Oseæ cap. 4. collecta faci-
le est, ubi Jehova ita conqueritur: *Mein Volk fragt
sein Holz/und sein Stab soll ihn predigen.* De Me-
diis vide Dionem & Nicandrum in *Theriacis*. Talia
etiam de Græcis ex Homero in transformatione Socio-
rum Ulyssis à Circe suscepta Desiderius Erasmus metri-
cè reddidit:

Compulit in numerum porcorum verberare virgæ
Percussos & erant illis capita ecce! suilla.

Gemellum ob finem eandem quoque virgam fabula-
tores isti Hermeti assignârunt, de qua vid. Virgil. Lib. 4.
Æneid. It. Venasinum Vatem Od. 10. Lib. 1. Carm. in
Mercurium. Neque præternissum faciemus *Tacitum*
de Moribus Germanorum, qui apud Majores nostros
idem peccatum obtinuisse dicit. Audiamus verba e-
jus: *Auspicia sortesq; ut qui maximè observant. Sorti-
um consuetudo simplex virgam fructiferae arbori deci-
sam in surculos amputant, eosq; notis quibusdam discre-
tos super candidam vestem temerè ac fortuito spargunt.
Mox, si publicè consulatur, sacerdos civitatis, si priva-
tim, ipse Pater familias precatur Deos, cœlumq; suspiciens
ter singulos tollit, sublato secundum impressam antè no-
tam interpretatur.* Habes ita impuros incantationum
gentilium fontes, ex quibus aliquis impurus rivulus per
virgam ad nostra usque tempora defluxit.

Erot. 3.

Ex qua conficiatur materia?

Multa hic sunt sententiarum divortia. Peritiores

A 3

rei

rei præ omnibus quidem corylum, vel annotinam vel
biennem commendatam volunt, ita tamen, ut fraxi-
num, betulam, pinastrum, abietem, pirum, cerasum, ali-
asque arbores non excludant. Sunt verò & alii, qui
ex sola corylo eam desumi credunt. Hanc sententiam
fovere videtur Camerarius Cent. i. hor. subcis. c. 73. *non
sine ratione q̄dari, putat, quod à solis corylorum surculis
bifidis & non ab aliis arboribus vel fruticibus, qui in iis-
dem proveniunt locis venæ auri argenteve detegantur,
inclinante sese eò virga, quâ sub terra feruntur atq; la-
tent.* Sed multi in his omnibus nondum acquie-
runt, sed etiam ex detritis scopis, metallisque duriori-
bus pari successu confici posse virgas certò deprehen-
derunt.

Erot. 4.

Quò die & tempore sit abscindenda?

NEQ; hic aliquid certi ponere possumus. Sunt qui
eam Dominica proxima à novilunio ante solis ex-
ortum & quidem potissimum mensibus Septembri ac
Decembri amputandam esse volunt. Huic opinioni
subscribit Samuel Butschky in Epistol. Germ. Part. 2. E-
pist. 291. Dissentiunt ab ea alii, dum hoc potius die Pa-
rasceves, vel etiam, si necessitas urget, Dominicâ in Ple-
nilunio ortò nondum lumine solari peragendum, judi-
cant. Sic cupit Keppelius, Fodinæ Anæbergensis In-
spector. Ita proh dolor! tempus Deo Sacrisque la-
boribus sacratum hisce levitatibus profanatur, Certè,
homines sibi metipsis insipiunt, seq; tacitæ impietatis
ar-

arguunt. Nulla dies per se est efficacior altero. Singuli longi, singuli quanti. *Quantitatis autem nulla est virtus.* Melius faciunt alii Metalloscopi, qui nullum, vel dierum vel mensium selectum habentes quodvis anni tempus amputando huic ligno aptum reputant.

Erot. 5.

An recentem, an verò aridam eam esse oporteat?

SI vis motrix, de qua postea, nativa est, certè in animam radicari, atque virgulam illam recentem esse oportet. Quæritur verò cum primis, num etiam arida possit adhiberi? Hic quidem notum est, quasdam arbores & herbas etiam evulsas interdum diu vivas superesse & vigere. Ronodæus in Disp. p. i. de Aloë scribit: *Hæc sæpe biennium & aliquando diutius, pensilis in tabulatis suo tenaci lentore vivit, incrementum capit & nova folia promit, at solo demissa marcescit.* Ob vivacem ejus naturam (perpetuò enim viret) semper - vivum marinum à quibusdam vocatur. Testatur item Theophrastus cum Scaligero siccam oleam revivuisse. De Salice vid. B. Sperling. Exercit. III. Proposit. V. Hisce enim arboribus succus pingvis ac viscidus inest, qui haut facile absumi potest. In Corylo autem iste non datur, ac vix animam tam diu in illa deprehendes. Quicquid verò sit: Metallici non tam recentem, quàm etiam aridam adhibent, atque non per annum neque per lustrum, sed quò usq; virgula salva est, salvam quoq; volunt qualitatem, Interim quia per ariditatem sæpe ad
flecte-

flectendum & aptandum fit ineptā, aquæ calidæ eam
immitendo toties macerant, quoties ejus usu opus
habent.

Erot. 6.

*Quenam circa ejusdem præparationem
notanda?*

A Bhorreo ferè nefandum & detestandum sanctæ
formulæ abusum dicere, dum non verentur illam
in nomine Patris, Filii, & Spiritus S., & quidem tribus vi-
cibus deorsum abscindere, fiduciam insuper à præpa-
rante requirentes. Hoc faciunt è regione solis orituri
stando. Sed id sine omni ratione & pondere. Gen-
tilis hic mos est, qui orienti soli supplicarunt, in actioni-
bus suis vultus ad eum convertentes. Non verò infi-
cias eo, dari etiam inter Metallurgos, qui his omnibus
omissis & post habitis simplicissimè tales virgas præpa-
rare soleant. Quod ad figuram istius virgulæ spectat,
illa communiter ad modum furcellæ figuratur, crassitu-
dine mediocri, capite minutò, cornibus verò, quæ exin-
de prodeunt, longioribus. Nonnulli etiam eam pror-
sus enodem volunt, alii contra nodosam. Perinde est.
Hoc tamen ex ore modernorum certum est, bicornes
præ rectis arridere, tum quod commodius teneri, tum
quòd facilius ad objectum inclinari possint. Præter
hos alii adhuc alium præparandi modum excogita-
runt, ut tenuem rectumque caulem in duos dividant
bacillos, unum horum in extrema parte excavantes, al-
terum in conum acucentes, ita ut iste concavus hunc co-

num

conum capere & excipere possit. Hoc peractō eam
pro lubitu adhibent, quā de re plur. vid. Athanas. Kir-
cher. in Magnet. Lib. 3. P. 5. p. 500.

Erot. 7.

Quomodo Applicatio instituenda?

Hic iterum nonnulli ex simplicioribus detestandæ
superstitionis accusandi sunt, putantes non succes-
surum esse institutum suum nisi submissa vel canorâ vo-
ce recitetur Evangel. Joh. ex Cap. 1. In principio erat
verbum, & verbum erat apud Deum &c. Melius sen-
tiunt alii, qui nihil circumstantiarum in hoc casu requiri
asserunt, hoc tantum observatō, quod non è manibus
deponatur, licet eventus expectationi non statim re-
spondeat; sed tam diu firmiter teneatur, donec incale-
scat. Rectè autem applicatur, si ambabus manibus
digitisque sursum flexis ita apprehenditur, ut caput ejus
cœlum versùs erigatur, & extremitates cornuum sub
annulari ingressorum concavum manûs per pollicis ac
indicis juncturam exeant. Non leviter tamen sed ar-
ctiùs illa tenenda est. Adhuc aliam præscribit applica-
tionem Schottus Lib. 4. Part. 4. Synt. 4. cap. 1. Obser-
vari etiam volunt, quod ille, qui ejusdem applicatio-
nem instituere cupit, omnia priùs metalla deponere
necessum habeat, quò virgula fortius agere possit,
quando non multis, sed uno saltem implicata est abje-
cto. Multitudinem enim objectorum virtutem ejus-
dem distrahere & dispergere, constat, atque hinc de-
biliores est. Contrà vis unita fortior est disjunctâ. Hanc

B

sen,

sententiam fovent illi, qui virgulæ favent, & motionis
causam vivenarum adscribunt, de qua deinde.

Erot. 8.

*An in omnium manibus virtutem
suam exerat?*

EXperientia rerum Magistra comprobat felicitatem
hanc non omnibus obtingere, & plurimos sæpe spe
suâ frustrari. Fatentur ipsi metallici quotidie in fodi-
nis agentes, paucissimos inter se inclinativam hanc vir-
tutem experiri. Si in causam inquirimus, quare non
omnibus tam beatos esse liceat? communiter respon-
dent, impedimento esse vel ineptum applicandi mo-
dum, vel occultam hominis proprietatem vi Sympa-
theticæ repugnantem, atq; ipsam operationem impe-
dientem. Aliàs, teste Agricola quinque conditiones ad-
ducunt, ut virtutem suam exerat. Prima, ut justà præ-
paretur quantitate. Si enim justam excedit magnitu-
dinem vix ac ne vix quidem volvi potest. Alteram po-
nunt, ut virgula sit bifurcata. Hanc cæteris usu præsta-
re trita opinio est. Tertia est vis venarum, seu natura-
lis amor, qui ob similitudinem qualitatum inter metal-
la ac virgulam intercedit. Quarta, apta tractatio. Quin-
ta, privatio proprietatis occultæ. Has duas posteriores
potissimum attendunt.

SECTIO POSTERIOR

De

Causa Motionis Virgulæ Saliaris.

Erot. 1.

An motionem suam debeat qualitati occultæ?

Ad

AD excusandam mentis nostræ infirmitatem dedu-
cta sunt quædam ad qualitates occultas, cum ad
manifestas deduci non potuerint. Sed multis, nempe
ignavis, nunc factæ sunt asylum, quibus coloraturi igno-
rantiam suam abutuntur. Plurimi sanè pro qualitate
occulta altercantur, quam alii contrà planè rejiciunt,
quorum sententiæ & nos subscribimus duabus sequen-
tibus adducti rationibus: (1) *Quicquid pluribus specie-
bus est commune, illud non est qualitas occulta. Vis ver-
gendi ad, venas & metalla pluribus speciebus est commu-
nis, Ergo. Vis vergeudi ad venas, non est qualitas occulta.*
Major firmò stat talò: quia occulta qualitas unicè resul-
tat ex forma specifica, forma specifica autem se non ex-
tendit ad plures species, sed in una saltem fundata & ad
unam tantum determinata est. Minorem probant Me-
talloscopi quotidianâ experienciâ, quâ nò tantùm cory-
lum, sed & pium, fraxium, betulam &c. ad investi-
gandas venas adhibent. (2) *Ubicunq; non amplius est for-
ma, ibi etiam non amplius est qualitas occulta.* Finge e-
nim qualitatem sine forma, habebis accidens sine sub-
jecto. *In virgula arida & veteri non amplius adest for-
ma, quia est exanimata. Ergo nec motio procedit à quali-
tate occulta.* Et quis sibi persuadere potest, formam in
ferro aut orichalco à mineris suis avulso perpetuò man-
suram? *Dicis: In magnete nunquam tamen desinere
virtutem attrahendi ferrum, ergo nec desinere formam
ejus specificam, & per consequens nec ferri nec ori-
chalci. Resp. neg. Virtus magnetis maximè langvescit,*

aut prorsus desinit, ubi obsoluerit. Hinc est, quod magnetem chlamyde chalybeâ, vel scobe ferreâ involvant, ut formam ejus specificam vi ferri, quod naturali amore prosequitur, diutius conservent.

Erot. 2.

*An vi venarum ac metallorum
moveatur?*

HAnc opinionem non pauci fovent, eamque mordicus defendunt, dicentes tantam virtutem magneticam metallis venisq; inesse, ut sæpius ramos arborum propè crescentes ad se in terram detrahant, atque hinc virgulam etiam detorqueant & moveant. Hancq; sententiam superiori seculo hodieq; communem esse testatur Agricola. Inter Eruditos pro ea pugnant Becherus Lib. 1. Phys. subterr. Sect. 7. inquiens: *Si verum est, quod de Virgula cadente, vulgò Wünschel-Ruthe perhibent, eam nempe ad metallâ inclinari (quod quidem ego nunquam cum successu vidi) certè nulla alia ratio dari poterit, quam quod ejusmodi atomi metallici exhalent, quæ exhalatio tum virgulam illam ad se rapiat.* Vid. illustrem virum à Seckendorff im Deutschen Fürstentum Staat p. 400. Bodinum in Dæmon. f. 45. Harsdörfferum in deliciis Mathematicis Vol. 3. Part. 6. Quæst. 16. Marcum Antonium Zimarani Part. 2. Antri-Magico Medici Lib. 1. Nos, quanquam faciles concedimus, plantas metallicâ qualitate continuis minerarum habitibus similitudinem aliquam habere cum metallis ipsis, supra quorum venas crescunt; simpliciter tamen ne-

gati-

gativam defendimus, similitudinem illam ad motio-
nem sufficere, sequentia in contrarium adducendo ar-
gumenta, inter quæ primò quidem locò poni meretur,
quod affert Agricola: *Quæ vi attrahendi ad se prædita
sunt, ea omnia res non in orbem torquent & circumvol-
vunt, sed eas ad se seorsim alliciunt v.gr. Magnes ferrum
non volvit, sed attrahit; & succinum attritu concalescit
& tam non vertit paleas sed simpliciter eas ad se allicit. Si-
militer vis venarum, si eandem cum magnete aut succino
naturam haberet, virgulam toties non volveret, sed se-
mel tantummodò ad spatium semicirculi versatam rectà
ad se traheret, & nisi compressio hominis, qui virgulam
teneret in manibus, ipsi venarum vi resisteret & repu-
gnaret, virgulam ferret ad terram.* (2) Notandum de-
inde est, quod virgula sæpissime iis in locis deorsum
vergere soleat, ubi neq; ferrum neq; ullum metallum
deprehendantur. Qualem hujus rei afferent causam?
dicunt: Diabolum thesauros aliorum deportasse, qui
adfuerint tum, cum virgula moveretur. Sed certissima
hæc fraus est. Audiamus historiam, quam recenset
Schottus in Magia sequenti verborum tenore: Princeps
quidam magni nominis in Germania habebat arcem, in
qua paucis retro annis obierat Nobilis dives & avarus.
Ejusdem pecuniæ, quas habebat numerosissimas, cum
nullibi reperirentur, constans fama erat, latere alicubi
sub arce in terra. Eò Princeps misit peritos quosdam
Metalloscopos ad detegendas pecunias. Inchoatò
scrutiniò perventum est ad locum, in quem virgula

inclinabatur. Sed post diuturnam effossionem nihil repertum,
 nec virgula amplius ad eundem detorquebatur. Respondebunt
 Virgularii thesaurum à Diabolo in alium locum translatum fuisse.
 Porro ergo quæsitum & alium locum ventum est, ubi virgula
 movebatur. At fossione reiteratâ eandem ob causam, uti illi as-
 serebant, iterum nihil inventum est. Fuit in hunc modum in-
 stituta tertia quartaq; inquisitio, sed semper frustra & sine successu.
 Audiamus (3) Kircherum Lib. 1. c. 2. in Magnete h. m. differentem:
*Ego hanc virgularum divinarum inclinationem ex vi quadam magneti-
 ca, quâ plantæ occulto veluti motu in ea ferantur, provenire non facile credi-
 derim, cum hujusmodi virgulas dictis metallis, cum quibus amicitiam habere
 dicuntur, applicatas, quantumvis exactissimè & levissimè equilibratas, nul-
 lum tamen inclinationis effectum præstare experimento à me factò non semel
 compererim, quem tamen æque præstare deberent, ac supra venas expositæ.*
 Et in Mundo Subterraneo. Lib. 10. cap. 7. Lect. 2. Non fieri posse, ait,
*puto, ut virgæ non æquilibratæ sed violenter tortæ latentia metalla tantam
 & tam subitanæ vim imprimant, ut illa ultro ad terram usq; se inclinare
 cogatur. Is, qui magneticarum motionum peritiam habuerit, attestabi-
 tur. Ut enim Sympatheticæ rerum naturalium actiones affectum habeant,
 vix dici potest, quanto ingenio & industria opus sit, & quàm exacta & præ-
 cisâ equilibratione corpora disponenda sint. Ut proinde omnes ridendi
 sint, qui virgulas illas bifurcatas manibus apprehensas à tam subtili halitu-
 rum vi concitari posse, sibi imaginantur. Confer. Casp. Schott. l. c.*

Erot. 3.

An calore moveatur?

NON negandum calorem vehementem frondes succosiores
 movere & in gyrum agitare, dum exsiccando eos contorquet.
 Experimentum fecit cum Schotto Athanasius Kircherus Romæ ad
 Palotti Cardinalis instantiam hac occasione. Aulici Cardinalis
 aucupio ceperunt quosdam minutissimas aviculas, quæ vulgò re-
 guli vocantur & in murorum sepiumq; receptaculis nidificare so-
 lent. Dum has ad ignem columnis virgulis infixas assarent, lignea
 illa verucula suis fulcris innixa sensim se verterunt. Re hac ad
 Cardinalem delatâ, is jubet Kircherum, ut experimento sumtò, sen-
 sa iudicii sui aperiret. Uterq; igitur Kircherus & Schottus deplu-
 matam avem stipiti infigunt, illumq; ferreis fulcris elevatum, ut li-
 berè possit moveri, igni admovent. Initio nihil animadversum fuit,
 ut adstantes invicem se risu exceperint. Brevi verò tempore post, cum

in

interiora stipitis incaluisse, suâ sponte cum aviculis mirantibus omnibus antâ velocitate in gyrum agitatus, ac si quis manus admovisset, vel aliquo artificiô moveretur, donec tandem assatâ aviculâ ipse stipes in cineres ferè retractus est, tunc circum volvi desit. Vid. sis Kircher. in Magnet. Lib. III. p. V. Videmus id ipsum etiam apud Vietores, qui recentes virgas & lignum igne flectere & ad scopum suum eô accommodare solent. Sed eundem in modum Virgulam Saliarem igne moveri falsissimum est. Calor enim ignis intensus atq; vehemens est, hic ne quidem sensibilis. Calore ignis virga non statim movetur, sed demum cum interiores fibræ afficiuntur. Hic verò sine mora vertitur, simul ac pes supra venam positus est. Ibi liberè relinquitur; hic tenetur atq; comprimitur. Ibi agitur & circum volvitur in gyrum, hic non item sed directò versus terram inclinatur.

Erot. 4.

An artitractantis vis motrix sit adscribenda?

DE illa non pauci gloriantur, partim vanam gloriam partim lucrum inde quærentes. Singularem enim nonnulli naturæ dotem præ cæteris sibi concessam mentiuntur, ut alios in admiratione rapiant. Hujus farinae hominem adducit Schottus qui se peritissimum hujus artis exclamaverit. Cum verò eam exploraturi partem argenti coram in mensa ponerent, partem, verò illò insciò occulerent, virgula ad conspicuum argentum quidem mota est, ne utiquâ verò ad illud, quod majori quantitate absconditum habebant. Sed hæc fraus non ad omnem motum se extendit. Virgula enim exclusâ omni arte & fraude sæpe verè agit & venas detegit. Habemus hujus rei testes metalloscopos aliosq; *αἰσθητὰς*. Hinc simpliciter Agricola sententiæ subscribere non possumus, quando causam communem motionis fraudulentam tractationem dicit. Neq; enim insolitum est, quod etiam piis & probatæ vitæ hominibus moveatur.

Erot. 5.

Ergo Fraus Diaboli vera causa motionis erit?

Sic maximè opinor. Virgula hæc, uti diximus, natales suos incantatoribus debet, & per incantatores propagata est. Latet anguis in herba & dolus Diaboli, qui virgulam in manibus, etiam inscij ac interdum minus superstitiosi dirigit. Licet non adsit foedus explicitum, tamen adest implicitum, dum hos æmulantur & virgam à Satana, præscriptam adhibent. Pugnant
pro

pro nobis B. Sperlingius in Dissertat. Anno 1658 habita de Quæst.
An virgula mercurialis agat ex occulta qualitate. Caspar Schot-
tus in Magia. Laurentius Forerus in Virid. Disp. de Magn. n. 29.
Zeilerus in Miscell. & alij. Qui vero virgulæ favent, illi etiam
maximè se excusant. *Testantur Deum bonam conscientiam, ho-
nestam vitam, se nihil commercij cum Satana habere.* Neq; nos
de bonis malè cogitamus. Commercium tum non latet in
persona sed in signo à Dæmone ordinato. Qui hoc signò uti-
tur, pactum cum eo inibit implicitum. *Dicunt porrò: Deum
omnia fecisse propter hominem & nihil in natura sine modo
inveniendi abscondidisse, atq; ideò hoc naturæ tribuendum
esse, Resp. in natura maximè dari indicia.* Per virgulam verò
venarum indagacionem fieri debere, ubi scriptum? Probatio-
res metallici aliis gaudent signis quorum beneficio natura-
liter in venarum notitiam pertingere possunt. Talia sunt cor-
ruscacio, *die Metall Bitterung*/ quæ est halituum pingviorum
ac sulphureorum deflagratio, & speciatim apparet verno tem-
pore in plantis ac foliis quando lividum vel sub cœruleum &c.
colorem induunt. Neq; leve argumentum desumitur à nive
& pruina, quæ alibi copiosiores supra venas verò rarissimè
conspiciuntur. *Objiciunt: Virgulam illam virtutem suam non
semper exerere. Si pactum adesset, semper utiq; moveretur.*
*Resp. neg. Conseq. Optimè scit iste mille artifex fraudem
suam occultare & tegere, ut cautis adversam qualitatem ho-
minis persvadeat, incautos verò hoc naturæ titulo facilius de-
cipiat. Qvis ex sacra Scriptura non novit, quàm caute nostros
Protoplastos sub specie boni se fellerit, ut præceptum Dei de non
comedendo fructu vetitæ arboris transiliverint? Ille hodiernum
callidissimus est & oppidò novit plurimis hominibus nihil gra-
tius metallis accidere posse. Hinc media suppeditat, quibus ad
finem suum feliciter perveniant. Ita bona ostendit, mala inten-
dit, infensissimus humani generis hostis. Sed coro-
nidem imponimus, cætera publicæ dis-
quisitioni committentes.*

Soli DEO Gloria.

05 A 2022

ULB Halle

3


003 785 467



VD17







26

B.I.G.

Farbkarte #13

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

D. B. V.

TUTEM
 GULÆ
 LIARIS,
 RÆSIDIO
 RISTIANI
 HMANNI,
 riâ Varisci,
 In
 nac Leucorea
 expendet
 S CLEEMANNUS,
 enâ Lufatus,
 Decembr. S.V. Anno 1689.
 DITORI MINORI.
 M. DC. LXXXIX.